UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Stemma Augustæ domus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1742

Visual Library

STEMMA
AVGVSTÆ DOMVS.

IVSTVS LIPSIVS
IANO LERNVTIO
S. DICO.

STEMMA Auguſtæum, Iane Lernuti, rem à ſe implexam, & in hiſtoriâ multi vſus, digeſtum à me compoſitumque tibi mitto. Tentatum antè alijs: ſed, liberè dixerim, tentatum potiùs, quàm perfectum. Nec enim pauca correcta à nobis, pluriaque eruta: & in re tenuiter indagandâ non tenuis labor. Quæ clara promtaque viſa, non firmaui: alijs addidi notas, quas ſcies indices eſſe numerorum nouitiæ editionis. Fateor tamen eſſe quæ fugerint me, fugiantque etiam nunc; quæ veſtigijs odorari potui tantùm. velut de Apuleiâ Variliâ, quam ſororis Auguſti neptem noſter ait, pag. 61. item de Claudiâ pulchrâ, quam ſobrinam ponit Agrippinæ vxori Germanici, pag. 128. Nec adſequor, quia nihil inuentum nobis de marito aut ſtirpe Marcellæ minoris: à quâ hæc deriuem. Tibi quidem, Lernuti, qualecumque hoc munus, vt amor tuus eſt, placebit, ſcio: vti namque in reliquis meis ſcriptis, alij pariter aut iudicent tecum aut errent. Vale mi Ocelle, cum Giſelino tuo meoque: quibus in ſummâ concordiâ vnum hoc certamen eſt, vter me magis amet.

- C. OCTAVIVS C.F. *qui Macedoniæ præfuit.*
  - *Ex Anchariâ priore uxore*
    - OCTAVIA *maior. Ex priore marito C. Marcello*
      - M. MARCELLVS, *cui prima uxor Pompeia Sexti : altera, Iulia Auguſti filia. Ex neutrâ liberi. Obijt adoleſcens in Baiano.*
      - MARCELLA *maior. Ex* I. *marito M. Vipſanio Agrippâ* —
        - *Liberi, ait Suetonius, ſed nobis irreperti. Nam de Vipſaniâ Tiberij uxore falſum.*
      - *Ex* II. *marito Iulo Antonio Africano Triumuiri filio, de quo Plut. in Antonio, & noſter pag.* 126.
        - L. ANTONIVS AFRICANVS. *qui Maßiliæ obijt, pag.* 126. *Ex eo aut fratre aliquo, ut arbitror* —
          - SEX ANTONIVS AFRICANVS. *de cuius nobilitate, pag.* 256.
      - MARCELLA *minor, de quâ ſilent*
    - *Ex* II. *marito M. Antonio* III. *viro*
      - ANTONIA *maior. Ex marito L. Domitio Ahenobarbo.*
        - DOMITIA, *cui vir Criſpus Paßienus, uti ſuſpicor ex Quinctil. lib.* VI. *cap.* II.
        - DOMITIA LEPIDA. *Ex* I. *marito M. Valerio Barbato Meſſallâ*
          - VALERIA MESSALLINA *Claudij principis uxor. Adi commentarium noſtrum, pag.* 183. *Et adde Senecam in Menippæâ, qui Meſſallinæ maiorem auunculum facit Auguſtum.*
        - II. *Ap. Iunius Silanus. Qui tamen anteà maritus fuiſſe videtur Aemiliæ Lepidæ proneptis Augusti. (vide Commentar. noſtrum pag.* 212. *etſi res hæc adhuc nubila.) Exq; ijs fortè*
          - L. SILANVS *ſponſus Octauiæ, pag.* 186. *&* 188.
          - M. SILANVS *proconſul Aſiæ, pag.* 211.
          - IVNIA CALVINA *Vitellij nurus, pag.* 188. *quæq; ad Veſpaſiani æuum ſuperuixit, ex Suet. Veſp. c.* XXIII.
        - CN. DOMITIVS, *cui uxor Agrippina, & ex ea*
          - NERO *Imp.*
      - ANTONIA *minor, cuius ſtirpem ex marito Druſo quære infrà.*
  - *Ex Attiâ* II. *uxore*
    - OCTAVIA *minor. de cuius coniugio aut ſtirpe nobis non lectum.*
    - C. OCTAVIVS, *qui poſteà C. Iulius Cæſar Octauianus Auguſtus. Ex Scriboniâ uxore*
      - IVLIA, *cui primus maritus M. Marcellus, tertius Tiberius Imp. uterque ſine prole. Medius M. Vipſanius Agrippa. Ex hoc*
        - C. CÆSAR, *cui uxor Liuia ſoror Germanici, pag.* 123.
        - L. CÆSAR, *cui deſtinata uxor Aemilia Lepida, poſteà P. Quirini uxor, pag.* 83.
        - AGRIPPA POSTVMVS.
        - IVLIA, *cui vir L. Aemilius, Paulus Cenſoris F. Ex eo*
          - ÆMILIVS LEPIDVS, *cui Druſilla uxor. Dione* LIX. *& Suet. Cal. cap.* XXIV.
          - ÆMILIA LEPIDA, *ſponſa Claudij, Sueton. Claud. cap.* XXVI. *Nec ſcio an eadem quæ nupta Druſo filio Germanici, pag.* 160.
        - AGRIPPINA, *cui vir Cæſar Germanicus. Et ex eo*
          - NERO, *cui uxor Iulia Druſi filia, pag.* 154.
          - DRVSVS, *cui uxor Aemilia Lepida, pag.* 160.
          - C. CALIGVLA, *cuius matrimonia è Suetonio pete.*
          - AGRIPPINA, *cui mariti tres, Cn. Domitius, Criſpus Paßienus, Claudius Imp.*
          - DRVSILLA, *cui prior maritus L. Caſſius: alter M. Aemilius Lepidus.*
          - LIVIA, *ſiue,* LIVILLA *Suetonio: quæ eadem* IVLIA *eſt Tacito & Dioni. Nupſit M. Vinicio, pag.* 150. *Huic ſiue alteri è ſororibus maritus anteà Quinctilius Varus, quem generum Germanici vocat Seneca lib.* I. *Controu.* III. *& aliquid Tacit. pag.* 133.

Habes

Habes Auguſti Stemma, quod ad ſanguinem quidem attinet. Supereſt vxoria ſtirps, quæ adfinitate primò, mox adoptione inſita in domum Auguſtam. Eam, lucis cauſsâ, ſeorſum hîc expreſſi.

- TI. CLAVDIVS NERO, *cui vxor Liuia Druſilla, poſteà Auguſta. Ex hac*
  - TIBERIVS NERO, *qui Imper. cui I. vxor Vipſania Agrippina, M. Vipſanij Agrippæ, ex Pomponiâ, Attici filiâ. Ex hac*
    - DRVSVS, *cui vxor Liuia ſiue Liuilla, ſoror Germanici. Ex hac*
      - TIBERIVS GEMELLVS, *quem Caius ſuſtulit. Sueton. cap.* XIV.
      - GEMELLVS *alter, cuius nomen non proditum: ex pag.73. qui periјt quadrimus. ex pag.*112.
      - IVLIA, *cui vir Rubellius Blandus. pag.*154. *Ex hoc*
        - RVBELLIVS PLAVTVS, *quem Nero ſuſtulit, cui vxor Pollutia, p.*294.
  - *II. vxor Iulia Auguſti F. Ex eâ proles, ſed infans exſtincta.*
  - DRVSVS NERO GERMANICVS, *cui vxor Antonia minor. Ex hac*
    - GERMANICVS CÆSAR, *cui vxor Agrippina. Stirps poſita ſuprà.*
    - LIVILLA, *cui vir C. Cæſar, dein Druſus frater patruêlis: deſponſa etiam poſteà Seiano ex pag.*123.
    - CLAVDIVS, *qui Imp. cui I. vxor Plautia Vrgulanilla. Ex hac*
      - DRVSVS, *cui deſponſa Seiani filia. Sueton. Claud. capite* XXVII. *Tacit. pag.*86.
      - CLAVDIA, *quam abiecit.*
    - II. *vxor, Aelia Petina. Ex hac*
      - ANTONIA, *cui vir Pompeius magnus, à Claudio interfectus. poſteà, Fauſtus Sulla.*
    - III. *vxor, Valeria Meſſallina. Ex hac*
      - OCTAVIA, *cui ſponſus L. Silanus. poſteà maritus Nero Imp.*
      - CLAVDIVS BRITANNICVS, *à Nerone ſublatus.*